Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36538
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

usque ad pedes. quicquid sub aspectu oculorum cadit, considerabit eum sacerdos et tenet lepra mundissima iudicabit, eo quod omnis in candorem versa sit, et ideo homo mundus erit. Per lepram carnis vivae de illis egit lex quorum perversitas aperte se prodit, et quorum pertinacem peccandi deliberationem gerit sacerdotalis admonitionis clausuram non recipit. Sed quia insurgunt aliquando contra bonos testes iniqui et mentitur iniquitas sibi, quando loquuntur homines adversus iustum iniquitatem, est et lepra soli calumniae et falsae criminationis, quam legislator praetereundam minime iudicavit. hanc quippe nec ille sanctus sanctorum carere potuit, immo noluit, qui peccatum non fecit et ab omni reatus contagio immunis fuit. Sed hic forsitan respondet meus fidelis: et dominum suum nec leprosum dicere sustinet nec audire. Ysaias itaque testis accedat, et quod nos sine auctore dicere formidamus, ipse more suo audeat et dicat: Et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a deo et humiliatum. huic ipse dominus per psalmistam concinit dicens: Ego sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis. Qui enim plebis se abiectionem insinuat, quem omnes scilicet a se abicerent et excluderent, quid aliud nisi leprosum se pronuntiat? Quamvis tamen lepra ei in cute, non in carne fuit, quia scelerat(or)um vocibus infamari ut reus potuit, sed conscientia eius peccatum nescivit. Discurrere itaque in cutis superficie potuit, sed carnem eius numquam violavit. Res namque discurrens numquam figitur nec locum invenit ubi stabiliatur. Quod igitur in cute eius non discurrere lepra potuit, cum studiosissime ab adversariis calumniandi undecumque occasio quaereretur, et quod veraciter obici posset non inveniretur. Scrutati sunt enim iniquitates, sed defecerunt scrutantes scrutinio. Quis, inquit, ex vobis arguet me de peccato? Insidiabantur cotidie quaerentes carpere aliquid saltem ex

ore eius ut accusarent eum, sed convicti rei ipsius evidentia et sapientiae divinae vocibus confutati palam profitebantur dicentes: nullum umquam hominem sic fuisse locutum. Lepra tamen convitiorum et criminationis quam ab adversariis ingerebatur omnem carnem eius cooperuit a capite usque ad pedes, quia omnia quae per eum gerebantur sinistre interpretantes opinionem ipsius prout poterant decolorabant. Curabat languentes, sed sabbati violatio reprehendebatur. Non est, inquiunt, hic homo a deo, qui sabbatum non custodit. Eiciebat daemones, sed hoc maleficiis attribuebatur. In Beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia. Et quid amplius dicam? Inter tot maledicta et contumelias dum alii fabri filium subsannabant, alii samaritanum daemonio plenum furiosis vocibus proclamabant, inter tot iniqua convicia non fuit in eo species neque decor, sed quicquid sub aspectu oculorum cadebat leprae quasi contagio non carebat. Hinc est quod Zacharias in sordidis vestibus Ihesum aspexit, et David montibus Gelboe quod ibi clipeus Saul abiectus fuisset maledixit dicens: Montes Gelboe nec ros nec pluvia veniat super vos, quia ibi abiectus est clipeus fortium, clipeus Saul quasi non esset unctus oleo. Gelboe quippe interpretatur decursus. Montes Gelboe superba sunt Iudaeorum corda a damore praesentium decurrentia. Saul unctus rex Christum significat, quem unxit deus oleo laetitiae prae participibus suis. Cuius clipeus intelligitur singularis eius innocentia, quae ex omni latere circumseptus nullum adversariis iustae reprehensionis aditum dereliquit. Hic tamen clipeus in montibus Gelboe abiectus est, quia sanctitas illius apud tumida Iudaeorum corda contemptibilis visa est, quasi non esset unctus oleo. Tamquam enim gratia spirituali destitutus esset, daemonio plenus asserebatur, et ea quae mirabiliter faciebat spiritui immundo tribuebant. Lepra vero haec quae caput nostrum operuit ad membra quoque ipsius pervenit. Unde est quod paulo ante legimus: non tamen